C. Machabaei Alp.
Στέφανος Ἐπιθαλάμιος
Hilario Grubbe & Christinae Lickiae
scriptus.










M Tuscher fecit

Possessor Ericus Petri pastor ...

ΣΤΕΦΑΝΟΣ ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΣ.

# MAGNIFICO VIRO DOMINO HILARIO GRVBBE INCLYTI REGNI DANICI CANCELLARIO AC SENATORI, ET CHRISTINÆ LVCKIÆ ILLVSTRIS: VIRI DOMINI GEORGII LVCKII EQVITIS, AC SENATORIS PRIMARII FILIÆ, SPONSIS NOBILISSIMIS, GRATVLATIONIS ERGO SCRIPTVS.

A

*C. MACHABÆO ALP:*

*HAFNIÆ,*
Excudebat Matthias Vinitor.
1577.

ΣΤΕ'ΦΑΝΟΣ ΕΠΙΘΑΛΑ'ΜΙΟΣ.

Magnifico Viro Domino HILARIO GRVB-BE, Inclytj Regnj Danicj Cancelario ac Senatorj: & CHRISTINÆ LVCKIÆ illustris Virj Dominj GEORGII LVCKII EQVITIS ac Senatoris primarij, Filiæ Sponsis Nobilißimis, Gratulationis ergo scriptus. A. C. Machabæo. Alp:

EXere MVSA tuas festino carmine vires
Si quid adhuc venæ fertilioris habes.
Exere, ne tacito solennj tempore plectro
Officium quisquam te posuisse putet.
En tuus auspicijs votisque fauentibus intrat
GRVBBIVS optatj fædera casta thorj.
GRVBBIVS antiquæ maiorum Gloria stirpis
Exuperans animi nobilitate genus.
Cuj merita in patriam pepererunt plurima nomen,
Seu Martis spectes tempora, siue togæ:
Cuj multum debent parnaßi collis alumnæ
Cui totam debes te mea Musa viro
Si quod inest igitur desuetæ carmen auenæ
Facundi quicquam siue furoris inest:
Seruiat ornandis tædis thalamoq; iugali,
Et castos cumulet laudibus omne thoros.

 Si

Si mea Florerent solito Mens venaq; cultu,
Curaret nostros turba nouena lares:
Vt quondam fuimus doctarum cura sororum
Quas fouet in placido Virgo Britanna sinu:
Aut cum Ruttenas primum transiuimus oras
(Ingeny heu pestem, perniciemq; mej)
Pulsarem teretj sublimia sydera versu
Et facerem meritis, officioq; satis.
Sed quia fracta iacet grauibus mens obruta curis
Ingenijq; acies exhebetata stupet
Et me fontis aquæ pimplæj, Vosq; sorores
Aoniæ, scythica deseruistis humo:
Non potis est celsis aßurgere Vena cothurnis,
Sed preßum lenté fertq; refertq; gradum.
Sic penetrans alis pernicibus Ardea nubes
Subiectum pedibus despicit inde solum.
At si remigium fuerit compagine rupta
Luxatum, riuos stagnaq; parua colit.

Ergo tonent alij calamo maiora sonoro
Queîs Dea pegaseo flumine labra rigat.
Et donent aurj radiantis pondera Dites
Quos Fortuna suo numine cæca beat:
Nos humilj vernans donamus Carmine Sertum,
Quod sponsis viridj cingat honore caput.
Hoc reduces Musæ tenues, sed & arte carentes
Conficient, Charites, Chloris & alma VENus.

Dumq; legent Nymphæ redolentia stemmata; iunget
AGLAI Aipsa sua stemmata lecta manu:
Consortiq; dabit consortis nominis vsu
Omina læta, HILARIS Sors vt vtrumq; beet.
Altera suffundet spirantes Balsama rores
Aurea præbebit tertia, fila, soror.

I decus auspicijs repetas noua pacta secundis
Virtutum celebrj sponse reuincte choro.
Nam quæcunq; solent Diuos extollere Dotes
Aut nos cum summis æquiparare Deis:
In te cuncta simul vernant, ceu fertilis aruo
Assolet exculto luxuriare seges.
Ergo tuum fœdus Numen cœleste probabit
Et fortunato iunget vt ante thoro.

Sponsa decus formæ castorum Gloria morum
Quæ sortem & faustæ nomina SORTIS habes.
Quam pater illustrat toto clarissimus orbe
Nobile cuj virtus æquat Auita genus.
Quam Mater veterj BRAHORVM stripe BEATa
Edidit, vt tanto sis mage digna viro.
I precor & fidej sinceræ vincula necte,
Vincula non vllo dissoluenda die.
Pergite Pierides, vernantia munera frondis
Carpere cum teneris lilia cana rosis.

Nam Dea florentj circumuestita decore
Præbebit varias optima CHLORIS opes.
Et iam festa vocat solennes buccina sponsos
Soluite tardantes numina sacra moras.

CHLORIS.

En patet noster foribus reclusis
Hortus, & stirpes varij coloris
Quicquid & visu cerebroq; gratum est
Protinus offert.

Vos chorj Nymphæ celebres nouenj
Fontis æterna salientis vnda
Montis æterno viridantis æstu
Cura decusq;:

Qui placent terso frutices palato
Præda sint vestris manibus reuulsi,
Præda quæ sponsis veneranda castis
Tempora cingat.

GRATIÆ dulces, animj reuinctæ
Vinculis, lætæ, sobriæ, carentes
Felle, flagrantem folijs coronam
Nectite crispis.

Ipsa vernantem tribuo: MELISSAM
Cordis affectj medicamen: optans
Vt tibi sponso verecunda fiat
Virgo MELISSA.

CLEIO.

## CLEIO.

Acris venenum dissipat
RVTA hæc coronæ quam sacro.
His exulet longè thoris
Mentis venenum perfidæ,
Quod liuor vrens euomit
Quod lingua turpis concitat
Quod suspicax Pectus fouet
Auget quod & Discordia.

## MELPOMENE.

Spirantis NARDI Charites adiungite florem
Inter virentes principem.
Qui validé grato perfundat odore Cerebum
Stringens meatus pectoris:
Sic caleant parilj tacitæ feruore medullæ,
Sponsis sacer quem spiritus
Immittet, nexuq; liget pia corda sereno
Flammis Amorem nutriens.

## THALIA.

Est MYRTVS veneri dicata puræ
Castis coniugibus sacra & Poetis.
Hanc Vati, Venerj, Thoris sacratam
Iungendam reliquæ fero coronæ.

## ERATO.

*Hæ violæ doceant vt se violentius vrant*
*Qui viuunt socio fœmina masq; thoro.*
*Et fugiant quicquid contractum frangere fædus*
*Siue datam poßit quod violare fidem.*

## TERPSICHORE.

*Agro* LIBANOTIS *amæno*
*Enata comis decus addat*
*Nitidæ pictæq; coronæ.*
*Hæc perpetuo velut æuo*
*Vernat, gelidisue procellis*
*Niue nec marcescit aquosa:*
*Lectj quoq; non temeratj*
*Proles diu honesta vigebit*
*Genuit quam casta propago.*

## CALLIOPE.

*Nil pulchrius cultis videtur nascier*
*In hortis nitida* ROSA.
*Nil pulchrius culta videtur virgine*
*Sponsa, virgineo in choro.*
*Ergo* ROSAS *has destitutas spinulis*
*Vestris addite floribus.*

EVTERPE

## EVTERPE.

Euphrasiæ intentos multum delectat ocellos
Gratior intuitu flos. Sic accrescat vtriq;
Ardor corde: fauor cœlis: & Gratia mundo
Longius hæc vitæ sponsi quo stamina ducunt.

## POLYMNIA.

Vt SERIS florem teretem recludit
Cum redux cœlo nitidum refundit
Lumen, & terras celerj quadriga
Lustrat obscuras, radijs penetrans
Cuncta fœcundis, refouensq; diuo
Numine phœbus.
Tecta sit coniunx alijs honesta:
Claudat & flores alijs pudicos
Mentis, & solj pateat marito,
Hunc amet solum, placeatq; solj,
Stringat huic solo teneris reuincta
Colla lacertis.

## VRANIE.

LILIA quæ niueo nunc florent pulchra colore
Æstatis vt faces vigent,
Brumæ procella conficit,
Hæc fiunt rediuiua tamen sub tempore verno
Radix resumit & comas
Gignit nouos & flosculos.

Sic

Sic vos vita beet præsens. post funera rursum
Iunget deinde splendido
Viuos polo, vitæ Deus.

## VENVS.

LOTON crocj filis parem
Et dulciorem roscidj
Mellis fauis, huic inserj
Serto venusto peruelim.

Huius Cupido perline
Succo sagittas, & ferj
Ictu leui præcordia
Vt mella spirent & crocum.

Vt mella spirent oscula
Vt mella fundant guttura,
Vt aureo Mentes croco
Castj pudoris splendeant.

## VOTVM.

Qui thalamos primum sanxistj CHRISTE iugales
Exosus turpes & sine lege thoros.
Et celebri castos exornas munere sponsos
Ex lymphæ reddens dulce liquore merum.
Deseris & nunquam vel spreta mapalia: sanctam
Coniugij seruant quæ sine fraude fidem.
Quin

Quin cumulos rerum tribuis, quin copia diti
His est diuina concumulata manu.
Et sobolem veluti ramum prægnantis oliuæ
Auges fœcunda fertilitate piam.
Et vigili vallas circumducisq; coborte
Impia quos fœdat nulla libido focos.
Et cœlo socias completo munere vitæ
Candida que puro colla dedere iugo.
His precor his adsis fœlici numine sponsis
Prosper & inuentum tu rege CHRISTE tuum.
Quasq; cruces hæc sancta feret coniunctio secum
(Namq; caret raro vita pudica cruce)
Has (uelut insipidas algentis fluminis vndas)
Transmuta vt referant lene sapore merum.
Et tua perfundat castam benedictio mensam
Qua sine nec Crœsi Gaza perennis erit.
Et tua sinceras seruet protectio Mentes,
Prompta sumus Stygio, qua sine, præda Ducj.
Ast vbi posteritas his creuit longa nepotum
Post patris tulerint ordine nomen auj:
Lætaq; maturam sensit Fortuna senectam,
Aeternæ capiant Gaudia Sortis Amen.

RATVM ESTO.